

1026. VII, 5-16 — Bula do Papa Leão X, *Providum Universalis Ecclesie*, pela qual concedera a el-rei D. Manuel as terças das rendas eclesiásticas de Portugal para a guerra de África, inserta num executorial passado em nome de António Puccio, pelo qual, em virtude da dita bula e de um breve também inserto, taxava todos os benefícios e dava poder ao bispo de Ceuta e Ministro da Trindade para executarem o determinado. Roma, 1514, Abril, 29. — *Pergaminho. 6 folhas. Bom estado.*

*Anthonius Puccius subdecanus ecclesie Florentinensis ad universam Portugallam necnon alia quecunque regna provincias terras et loca ad que nos declinare contigerit apostolice sedis cum potestate legati de latere nuncius serenissimo in Christo domno Emanuei Portugalie et Algarbiorum regi illustri felicem in Domino prosperitatem sedis apostolice cuius in hac parte comissonis officio fungimur providentia circumspecta ex sua solita benignitate ad ea per que fides catholica exaltari et christiana religio ac salus animarum augeri infidelesque deprimi et eorum errores corrigi necnon milites contra eos pugnantes commodius substentari valeant libenter intendere consuevit.*

*Dudum siquidem sanctissimus in Christo pater et Dominus Noster dominus Leo divina providentia Papa decimus provide considerans et viribus tuis donec bellum in Aphrica contra perfidos Feccensium et Maroquitarum reges actualiter gereres succurrere volens tibi et successoribus tuis ut de quibuscumque metropolitanis cathedralibus et aliis ecclesiis ac monasteriis ceterisque beneficiis ecclesiasticis cujuscumque qualitatis fuissent in tuis Portugalie et Algarbiorum allisque regnis provinciis insulis terris et locis tibi subjectis et que imposterum subjicerentur consistentibus partes decimarum tercias nuncupatas ad instar et prout*

Castelle et Legionis reges pro tempore existentes ex concessione apostolica percepérant et percipere consueverant exigere levare et percipere valeres per quasdem sub plumbo concessit et indulsit nobisque per alias diversas in forma brevis litteras hujusmodi tertiarum seu decimaru[m] distributionis taxationem moderationem declarationem et terminationem commisit prout in singulis litteris predictis quarum respective et successives tenores inferius inseruntur plenius continetur videlicet:

*Leo episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio nostro Emanuelli Portugalie regi illustri salutem et apostolicam benedictionem.*

*Providum universalis ecclesie pastorem cujus fidei christiane plebis cura et salus divinitus commissa est in primis decet fortes pro Christi fide pugiles reges ut de Ause filio Nava legitur Domini Nostri Jhesu Christi qui salvator interpretatur (1 v.) non gratiis solum spiritualibus donis prosequi qui in benemeritos de catholica fide ex largo sedis apostolice fonte jugiter profluunt verum condignis favoribus meritis eorum paribus auxiliis impartiri ipsis regibus pro religione pugnantibus ac fidei etiam propagationi pariter consulatur.*

*Sane cum uti dilecti filii Tristannus de Cunia Didacus Pachecus et Johannes de Faria tue majestatis oratores ad nos et sedem apostolicam pro prestanda obedientia destinati ejus nomine exposuerunt Portugalie olim reges clare memorie progenitores tui non absque gravibus dispendiis et sanguinis effusione ejectis e suo regno mauris qui non parva Lusitanie parte occupata in iis coaluerunt locis zelo fidei arma in Aphricam trans-tulerint et clare memorie Johannes primus ejus nominis rex pari fervore religionis accensus comparata ingenti classe munitissimam urbem Septam vi pugnando ceperit que in Gaditano freto sita christianoque nomini infesta ex Occeano in Mediterraneum mare ultiro citroque commercia impeditiebat prebebatque occasionem mauris christiani nominis hostibus invadendi Hispaniam eamque crebris incursionibus diripiendi nom absque magna jactura fidelium animarum favente postea piis ceptis Deo successores reges pari in armis virtute et pietate in Deum trajectis exercitibus in Aphricam munitissima oppida Alcassar Arzillam et urbem Tingi expugnasse quo gravi et diuturno bello non magna tantum Christi fidelium multitudine hostilibus est assumpta gladiis verum incredibiles labores summa discrimina ac gravia dispendia reges ipso perpessi sunt et tu imprestantiarum equatis sepenumero periculis ut credere par est graviora pateris quoniam cum major sit virtus in hostilibus presertim terris tueri parta quam ea tunc forsitan aspirante fortuna armis quesivisse ipsique mauri tam assiduitate pugnandi quam quod periculo suo disciplinam militarem edocti validiores indies effecti sunt affluuntque magis armis bellicisque marchinis et tormentis quorum prius fuerant expertes plane eorumdem oppidorum locorumque custodia et defensio longe gravior et difficilior redditia est presertim cum plerique qui rerum hujusmodi periti erant Oranatensi bello quod nostra etate dextra Domini assistente prospere gestum et perfectum est ex Hispania pulsi in Aphricam trajicere coacti fuerint quorum*

accessu stimulante metu ac desiderio recuperandi amissa rex Fencensis uti etiam fidedignorum relatu accepimus qui bellicosus est ac qui christiano nomini infensissimus dicitur esse ejectis cesisque fidellum presidiis (2) Arzillam munitissimum oppidum ad littus maris positum recepit recuperatamque cursus simulque civitatem Tingi licet fustra gravissima tamen cinxint obsidione in cuius opidi recuperatione munitioneque aliorum locorum ne eisdem periculis subjacerent tum maximi sumptus facti sunt tum etiam est non absque extremo periculo laboratum quibus incommodis commotam majestatem tuam ut prorsus impios infidelium conatus frangeret et renascentia bella penitus extingueret Dei auxilio freta ac vere Emanuel qui nobis Deus interpretatur resumpsisse arma captaque jam urbe Zafi cumcerneret pro sua prudentia perfidos hostes nequaquam quieturos trajectis denuo ingenti classe magnis exercitibus quibus dilectum filium nobilem virum Jacobum ducem Bragantie sororis filium prefecit celebres opulentasque urbes Azamor Almedinam et Tyti partim armis partim deditione captas ac nonnulla etiam opida in Maroquitarum regno christiane reipublice et ditioni tue adjecisse verum cum ob bellum Aphricum quod adversus duos potentissimos reges infideles fervore fidei suscepit et quibus non devictis ac ad fidei agnitionem conversis christiana res nedum in Aphrica sed in Portugalie Regno nunquam tuta erit magnis presidiis assiduisque stipendiis et milite ac valida classe ei opus sit accedatque etiam quod non magis ad utilitatem tuam et gloriam quam ad fidei dilatationem et exaltationem pertinet prout fidedigna relatione perceperimus duces tuos circumactis a tergo Aphrice per Athlanticum littus classibus Ethiopiam Arabiam Persidem et Indie partem ingressos cum sultano Maumhattane spurcitie assertore aliisque regibus qui illis provinciis et regnis presunt contusis hostium viribus captisque plerisque opidis et civitatibus gravissimum bellum gerere eam magnopere dubitare non suppetentibus ad tanta gerenda bella sui regni opibus distantia et in hospitalitate locorum illatis ab occidua ora in orientem christianis armis ne longo cursu a diuturnitate bellorum languescant prosperi conatus et incredibiles ferre sumptus tot tantisque pro propaganda Christi fide operibus sufficere possit.

*Quare oratores prefati pro parte tua nobis humiliter supplicarunt ut tam utili tamque per necessario et sancto operi sicut pro eadem fidei causa romanos pontifices pluribus christiani orbis et presertim Castelle regibus ac postremo felicis recordationis Alexander Papa vj predecessor noster charissimo in Christo filio nostro Ferdinando ac clare memorie Elisabeth ejus conjugi regibus catholicis indulcerunt auxilia et subventiones prebere proque tanti (2 v.) belli quod contra arabes persas et indos feliciter ceptum ad fidei exaltationem propagationemque prosequi intendis onere supportando in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignarremur.*

*Nos* mente revolentes pietatem tuam progenitorumque tuorum in ipsum Deum absque cuius nutu ope et auxillis preclara opera effici non

possunt singularem constantiam et in christianam religionem quam unigenitus Dei filius cuius nos vices gerimus in terris innocentissimo suo sanguine fundavit devotionem aliasque eximias tui animi dotes atque in sanctam hanc sedem merita quam exemplo Habrae qui contra aliquot reges victoria potitus est nuperrime pils et religiosis muneribus recognoscere voluisti in memoriam victorie totiens divina ope contra infideles habite ob assidua bella que contra perfidos fidei nostre hostes forti ac constanti animo geris considerantesque preterea quamdifficillimum esse tui regni opes animo tuo impares ac vires in tanta molle bellorum que in pluribus et diversis locis geris validissimis potentissimisque hostibus vix sufficere et ad nostrum imprimis pastorale officium spectare pro ea cura et sollicitudine que tuendi et propagandi religionem nobis incumbit non solum pias et devotas supplices preces tuas benignis accipere auribus verum tot assiduis laboribus incommodis periculis ac innumerabilibus dispendiis que ad honorem Dei et christiane fidei exaltationem indefesse perfers pro tuitione munitione et custodia opidorum et locorum que christiane reipublice tua virtute et industria adjecisti et in futurum non minore fidei ardore divina favente clementia totis conatibus adjicere intendis proque continuatione et instauratione tam sancti ac Deo accepto belli de certis decimarum partibus terciis nuncupatis in Portugalie Algarbiorumque regnis ceterisque provinciis insulis et locis tibi subjectis et que ut prefertur subjicientur providere sicuti predecessores prefati ipsis Castelle regibus ob expulsionem infidelium ex regno Granate et plures alios pro re hujusmodi susceptos labores de similibus partibus decimarum terciis nuncupatis providerunt hujusmodi supplicationibus inclinati tibi ac successoribus tuis ut de quibuscumque metropolitanis cathedralibus et aliis ecclesiis ac monasteriis ceterisque ecclesiasticis beneficiis cuiuscumque qualitatis fuerint in regnis provinciis insulis et locis tibi subjectis et que ut prefertur subjicientur consistentibus partes decimarum tercias nuncupatas ad instar regum Castelle et Legionis regnorum levandas et percipiendas (3) donec bellum in Aphrica contra dictos Feccensium et Maroquitarum infideles reges actualiter et bona fide et sine fraude gesseris et dicto dumtaxat sic durante bello et non ultra exigere levare et percipere valeas in omnibus et per omnia prout prefati Castelle reges ex apostolica concessione percipiunt et percipere consueverunt.

*Ita* tamen quod ab ecclesiis quorum fructus redditus et proventus quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communionem extimationem valorem annum non excedunt nichil pretextu concessionis hujusmodi exigi valeat nisi qui duas aut plures ecclesias seu beneficia obtinuerit quarum aut quorum in simul fructus et proventus dictam quinquaginta ducatorum similium excedant summam tunc enim a dicta solutione nequam immunis intelligatur auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac potestatis plenitudine tenore presentium concedimus et indulgemus.

*Non obstantibus generalis concilii et aliis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ac statutis et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum et ordinum quorumcunque juramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis necnon privilegiis et indultis apostolicis illi forsitan concessis quibus etiam si ad illorum derogationem de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa ac de verbo ad verbum non autem per generales clausulas id importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda foret illorum tenores pro sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.*

*Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis indulti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire.*

*Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.*

*Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quingentesimo quartodecimo tercio Kalendas Maii Pontificatus nostri anno secundo.*

*Dilecto filio magistro Anthonio Puccio camere apostolice clero subdecano ecclesie Florentinae notario et nuncio nostro Leo Papa decimus dilekte filii salutem et apostolicam benedictionem.*

*Cum hodie charissimo in Christo filio nostro Emanuei Portugalie regi illustri ob gravia et assidua bella que contra infideles tam in Aphrica quam aliis Ethiopie Arabie et Indie locis forti ac constanti animo gerit volventes animo quam difficillimum esse vires suas ac sui regni opes (3 v.) magnitudini animi sui longe impares in tanta molle bellorum que in pluribus et diversis locis adversus validissimos et potentissimos hostes pro Christi fide propaganda suscepit vix sufficere ut facilius tueri munire ac custodire civitates opida et loca que jam ditioni sue in predictis Aphrice et aliarum partium locis ac christiane reipublice adjecit ac pro continuatione et instauratione tam sancti tamque pernecessarii ac Deo accepti belli sibi ac successoribus suis ut de quibuscunque metropolitanis cathedralibus ecclesiis monasteriis aliisve quibusvis beneficiis ecclesiasticis cujuscunque qualitatis existant in suis Portugalie et Algarbiorum regnis aliisque locis sibi subjectis et que imposterum Dei dextera de super favente subjiciuntur consistentibus partes decimarum tercias nuncupatas ad instar regum Castelle et Legionis regnum quibus similes decime in dictis regnis et pro eadem causa per romanos pontifices concesse fuerunt donec bellum in Aphrica contra Feccensium et Maroquitarum infideles reges actualiter realiter bona fide et absque ulla fraude gerent dumtaxat et non ultra exigere levare et percipere possint auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia ac potestatis plenitudine per quasdam concesserimus*

et indulxerimus ac per alias nostras literas preceptorias milicie Jhesu Christi erexerimus et instituerimus etiam monasteris et prioratibus ac parrochialibus ecclesiis in civitatibus et diocesibus regni sui consistentibus partem fructuum separaverimus et eisdem preceptoris pro illarum dotibus applicaverimus certis executoribus de super deputatis qui bona hujusmodi sine possessorum modernorum prejudicio eisdem preceptoris assignarent prout in singulis literis predictis plenius continetur.

*Cupientes* ut taxatio distributionis partium decimarum hujusmodi super predictis ecclesiis et monasteriis aliisque ecclesiasticis beneficiis ac juribus equa lance (*sic*) fiat ac pro cujusque ecclesie monasterii et beneficii qualitatibus ut equum justumve fuerit et ne quispiam etiam in assignatione bonorum pro dote preceptoris hujusmodi assignandorum jure conqueri possit tibi de cuius fide integritate et industria in domino plurimum confidimus quantus diligentia adhibita cura studio et circumspectione ita omnes et singulas predictas ecclesias monasteria et alia cuiusvis qualitatis ecclesiastica beneficia discutione prehabita ex quibus juxta continentiam nostrarum literarum partes decimarum hujusmodi exigi levari et percipi debebunt taxes et modereris ut ne ultra debitum etiam in assignatione bonorum separatorum pro dote (4) preceptoriarum hujusmodi graventur et onerentur tenore presentium committimus et mandamus tibique potestatem concedimus quoscumque contradictores cuiuscumque preminentie et dignitatis etiam archiepiscopalis et episcopalis et abbatialis fuerint per interdicti ingressus ecclesie ac a divinis suspensionis ac excommunicationis aliasque sententias censuras et penas etiam peccuniarias et privationis beneficiorum compescendo et multandi ac censuras et penas hujusmodi iteratis vicibus aggravando et loca ecclesiastica ecclesiastico interdicto submittendi et penas ac interdicta hujusmodi relaxandi et a penis eisdem etiam absolvendi totiens quotiens tibi videbitur opportunum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvijij Maii milesimo quingentesimo decimo quarto. Pontificatus nostri anno secundo.

Jacobus — Sadoletus.

*Dilecto* filio magistro Anthonio Puccio subdecano ecclesie Florentinae notario ac familiari ac nuncio nostro Leo Papa decimus. *Dilecte* fili salutem et apostolicam benedictionem.

*Alias* postquam carissimo in Christo filio nostro Emanueli Portugalie et Algarborum regi illustri ut bellum contra Feccensium et Maroquitarum reges infideles inchoatum continuare posset ut de omnibus ecclesiis monasteriis et aliis beneficiis ecclesiasticis certas partes decimarum tercias nuncupatas ad instar regum Castelle et Legionis regnorum quibus similes decime per romanos pontifices concesse fuerant donec bellum hujusmodi gereret concesseramus tibique per alias nostras in forma brevis

litteras mandavimus ut ecclesiis monasteria et beneficia predicta disquisitione prehabita juxta continentiam litterarum nostrarum partes decimorum hujusmodi exigi levare et percipi deberent taxares et moderareris ut ultra debitum non gravarentur.

*Nuper autem tuis litteris significasti quod propter verba in litteris concessionis decimorum apposita quod ille solvi deberent ad instar regni Castelle juxta cuius consuetudinem decime ipse in novem dividuntur partes quarum tres prelato et capitulo et totidem rectori parrochiae relique auctoritate tres partes regi et fabrice dantur ex quarum ultimis tribus partibus due regi reliqua tercia pars fabrice assignatur nec dubitas quod due partes ex novem partibus ita Emanueli regi in regno suo persolvi debeant sicut in regno Castelle regi Castelle persolvi consueverunt sed dubitare videris an clerici soli vel et prelati has duas partes solvere et an illa tercia fabrice ecclesiarum persolvi debeat super quibus tibi taliter duximus respondendum cum intentionis nostre solum fuerit providere Emanueli regi bellum contra reges infideles gerenti donec illud sine fraude gereret voluimus et ita voluimus quod ea interpretatio fiat ut ecclesie et monasteria ac beneficia hujusmodi quanto minus fieri possit graventur et propterea (4 v.) si rex Castelle duas partes ex novem partibus recipere consueverat tantumdem rex Portugalie in suo regno recipere debeat reliqua vero partes per illos qui eas antea percipiebant percipientur sive illius tercie partis pro fabrica assignatione.*

*Cum non cogitaverimus ad instar regni Castelle fabricam ibi non institutam de novo instituere nec sibi partem illam assignare et super hoc non intendimus aliquid in regno Portugalie de novo inducere et innovare a quibus auctoritate due partes regi solvende solvi debeant superfluum queri videtur cum si ex acervo fiant novem partes rex capit duas sibi debitas ex illo acervo nec exigit magis ab uno quam ab alio. Quod si inde adhuc aliqua tibi remaneret super hoc difficultas se duabus partibus Emanueli regi persolvendis illam prout tue conscientie videbitur declarandi terminandi et decernendi et statuendi plenam tibi et liberam licentiam concedimus et facultatem non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.*

*Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxix Novembbris milesimo quingentesimo decimo quarto. Pontificatus nostri. Anno secundo.*

*Nos igitur ad hujusmodi tertiarum seu decimorum distributionis taxationem moderationem declarationem et terminationem procedere volentes auctoritate apostolica nobis per eundem dominum nostrum Papam concessa et qua fungimur tenore presentium volumus statuimus decernimus et declaramus quod omnes et singuli tam archiepiscopalis quam episcopalnis dignitatis prelati et tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum capitula necnon abbates priores ac tam in eisdem cathedralibus quam collegiatis ecclesiis dignitates canonicatus et prebendas por-*

tiones seu beneficia habentes necnon parrochialium et aliarum ecclesiarum rectores ceterique cum cura vel sine cura beneficiati easdem decimarum tercias tibi et successoribus tuis Portugalie et Algarbiorum regibus pro tempore existentibus quamdiu bellum ut prefertur in Aphrica geretur que quidem tercie sunt et erunt due partes de novem solvende per singulos prefatos et beneficiatos prefatos tam seculares quam regulares ad libram et solidum pro rata uniuscujusque omnino solvere debeant et teneantur important autem hee due partes de novem viginti duos ducatos seu cruciatos auri et octuaginta novem regalia monete in Portugalia cursum habentis pro quolibet centenario cruciatorum hujusmodi.

*Quodque* capitula tam metropolitanarum cathedralium quam collegiarum ecclesiarum earumque canonici et beneficiati has duas partes de novem tibi et pro tempore existenti Portugalie regi hoc modo et non aliter persolvere debeant videlicet si prebende tam beneficiatorum quam canonicorum et dignitatum hujusmodi transcenderint summam quinquaginta cruciatorum (5). Si autem prebende tantum dignitatum et canonicorum excesserint dictam summam prebende vero ceterorum beneficiatorum seu semicanonicorum vel portionariorum aut semiportionariorum infra dictam summam quinquaginta cruciatorum extiterint volumus quod tu et pro tempore existens Portugalie et Algarbiorum rex ex prebindis tantum dignitatum et canonicorum prefatorum duas partes percipiatis de ceteris vero prebindis nichil omnino percipiatis nisi forte aliquis fuerit interdictos beneficiatos qui ultra portionem seu semi canonicatum suum habuerit aliud beneficium seu pensionem adeo quod omnibus fructibus computatis redditus sin transcendent summam quinquaginta cruciatorum hujusmodi tunc et eo casu a tali beneficiato seu semicanonico percipere possitis duas partes hac tamen modificatione quod si dicte due partes tantum importarent quod dicta summa quinquaginta cruciatorum diminuerent levare non possitis nisi usque ad dictam summam quinquaginta cruciatorum hujusmodi que semper integra unicuique remanere beat.

*Necnon* quod dicta summa quinquaginta cruciatorum intelligatur omnibus beneficiis et proventibus computatis non autem in quolibet monasterio vel prioratu seu rectoria aut quoconque alio beneficio videlicet si abbas habeat duo monasteria unum in valoris quinquaginta cruciatorum aliud vero in commendam valoris triginta cruciatorum hujusmodi tunc a dicto abbate terciam vestram respectu octuaginta cruciatorum videlicet quantum due partes de novem important levare possitis idemque observetur in quoconque alio qui vel totidem aut plures proventus tam in uno beneficio quam duobus vel tribus seu pluribus habuerit. Hec autem due partes ab omnibus quorum fructus dictam summam quinquaginta cruciatorum transcenderit dummodo dicta summa integra et intacta abbati vel priori seu rectori vel vicario aut quibuscumque aliis beneficiatis semper remaneat percipientur.

*Quodque* omnes tam prelati quam clerici seculares vel regulares qui pensionem in hoc regno illam summam quinquaginta cruciatorum hujus-

modi excedentem habebunt tam super eadem pensione quam super aliis proventibus suis si quos habuerint dictas duas partes de novem vobis solvere teneantur. *Quodque* persolventes talem pensionem seu pensiones viventibus dictis pensionariis vobis dictas duas partes persolvere non teneantur pro ea parte fructuum quam persolvunt dictis pensionariis pro annua pensione sed in eventum vacationis seu cessationis dictarum pensionum per cессum vel decesum seu quovis allo modo cessaverint quod super omnibus proventibus beneficii seu beneficiorum hujusmodi super quibus pensiones (5 v.) assignata erunt dictas duas partes percipere et levare libere et licite valeatis utque vestre ac omnium qui pensiones predictas solvere tenentur indemnitatি consulatur volumus quod quicquid occasione dictarum pensionum vobis deberi cognoveritis auctoritate propria ex fructibus ipsorummet beneficiorum super quibus dicte pensiones sunt constitute percipere valeatis.

*Si* vero persolventi seu persolventibus dictam pensionem a pensionario seu pensionariis suis aliqua inferretur molestia volumus quod teneamini dictis persolventibus omnem defensionem exhibere eosque ab omni predictorum pensionariorum vexatione immunes preservare vobis concedentes facultatem et potestatem ut contra dictos vexantes realiter et personaliter procedere possitis donec ab hujusmodi vexatione penitus destiterint. *Si* vero usque ad datam praesentium aliquis pensionarius in bulla pensionis sue expressum habuerit quod dicta pensio sua ab omni gravamine presenti et futuro tam ratione decimarum quam respectu cujuscunque alterius gravaminis debeat esse immunis tunc et eo casu nichil occasione pensionis seu pensionum hujusmodi neque a dictis pensionariis nec a persolventibus dictas pensiones percipere possitis nisi postquam easdem pensiones cessare contigerit.

*Quodque* hujusmodi due partes de novem ex proventibus decimarum tantum non autem ex aliis proventibus ecclesiarum seu beneficiorum aut monasteriorum per vos percipi et levare debeant quodque summa quinquaginta cruciatorum que integre remanere debet non tam ex bonis decimarum quam etiam ex ceteris aliis proventibus constare debeat necnon quod singuli preceptores seu commendatarii tam Jhesu Christi quam Sancti Jacobi et de Avis militiarum teneantur vobis persolvere dictas duas partes super singulis monasteriis prioratibus ecclesiis seu quibuscunque aliis beneficiis que in titulum seu commendam ad vitam obtinent hoc est que non sunt magistratibus seu mensis miliciarum hujusmodi perpetuo unita seu annexa necnon super cunctis pensionibus et quibusvis aliis fructibus beneficiorum quos ad vitam commendatos obtinent seu percipiunt et qui summam quinquaginta cruciatorum hujusmodi excesserint. *Quodque* in extimandis fructibus et redditibus super quibus dictae due partes vobis persolvende sunt nequis ultra debitum asserat se gravatum hujusmodi respectus haberri debeat videlicet in commarcha de Habera in almoscerifatu Lamacensis Visensis et Egitanensis pro qualibet alqueri grani seu frumenti vel tritici regalia viginti sex dicte monete

pro alqueri centeni regalia decem et octo pro alqueri ordei regalia sexdecim pro alqueri milii regalia quindecim pro qualibet almuda vini regalia viginti tria pro qualibet alqueri olei regalia centum quinquaginta pro singulis porculis (6) regalia viginti quinque pro lampredis regalia quindecim pro savis regalia viginti pro duobus anseribus seu pattis regalia quinquaginta pro duobus pullis seu franganis regalia quindecim pro singulis edis aut agnis regalia viginti quinque pro fasciculo lini regalia quinquaginta pro qualibet alqueri leguminu regalia viginti sex pro alqueri castanearum regalia quinque pro qualibet cannata butiri regalia quadraginta pro cannata mellis regalia viginti quinque pro racta cere regalia triginta. *In* commarca sita intra Dорium et Mignum id est in moscerifatu portugalensis et de Guimaraens ac Pontis de Lima pro qualibet alqueri tritici regalia triginta pro alqueri centem regalia viginti quinque pro alqueri ordei regalia viginti pro alqueri milii regalia decem et octo pro almuda vini regalia quindecim pro edo vel agno regalia viginti quinque pro ansere seu patto regalia viginti pro pullulo seu frangano septem regalia cum dimidio pro lampreda regalia duodecim pro sava regalia quindecim pro cannata mellis regalia viginti pro qualibet mensura que appellatur petra lini de canapa regalia quinquaginta pro cannata butiri regalia decem pro racta cere regalia triginta. *In* comarca Ultra Montes id est in moscerifatu de Turre de Moncorvo et Ville Regalis pro qualibet alqueri frumenti seu tritici regalia viginti pro alqueri centem regalia quindecim pro milio regalia duodecim pro ordeo regalia duodecim pro almuda vini regalia viginti pro ansere seu patto regalia viginti pro edo aut agno regalia viginti pro alqueri castanearum regalia quinque pro petra lini de canapa regalia quinquaginta pro cannata mellis regalia viginti pro pullulo seu frangano regalia septem cum dimidio pro porculo regalia quadraginta. *In* commarca Stemature id est in moscerifatu Colimbriensis et Averi pro qualibet alqueri frumenti regalia viginti septem ordei septem centem quindecim milli tredecim olei octuaginta pro almuda vini regalia viginti pro lampreda quindecim pro sava regalia viginti pro pullulo seu frangano regalia octo pro petra lini septuaginta pro petra lini de canapa regalia sexaginta pro alqueri leguminum regalia viginti septem pro edo aut agno regalia viginti septem pro ansere seu patto regalia viginti. *In* muscerifatu Sancterene pro alqueri frumenti regalia viginti quinque ordei tredecim centem duodecim milli duodecim pro almuda vini regalia viginti pro alqueri olei regalia sexaginta pro edo aut agno (6 v.) regalia viginti septem pro ansere seu patto regalia viginti. *In* muscerifatu de Lanqueri pro alqueri frumenti regalia viginti quinque ordei decem et octo centem duodecim et milii duodecim pro tonello vini albi navigari soliti regalia duo mile octingenta pro almuda vini rubei navigari non soliti regalia triginta quinque pro alqueri olei regalia septuaginta quatuor pro edis agnis franganis et pattis ul supra in aliis muscerifatibus. *In* Ulixbona ac universo ejus territorio pro alqueri frumenti regalia viginti octo ordei viginti pro almuda vini regalia quadra-

ginta pro almuda vini ad ripam Tagi seu de Ribatejo regalia quinquaginta pro alqueri olei regalia septuaginta quinque pro alqueri leguminum regalia viginti octo pro pullulis seu franganis duobus regalia viginti duo pro ansere seu patto triginta pro edo aut agno regalia triginta. *In* provincia ultra Tagum seu Alentegium id est in almuscerifatu Elborensis pro alqueri frumenti regalia viginti ordei duodecim pro almuda vini regalia quadraginta quinque pro alqueri olei regalia septuaginta quinque pro alqueri leguminum vigintiquinque pro porculo vigintiquinque pro edo aut agno vigintiquinque pro patto viginti et pro frangano regalia octo. *In* muscerifatu Beje pro alqueri frumenti regalia decem octo ordei decem pro almuda vini regalia triginta pro alqueri olei regalia septuaginta pro alqueri leguminum regalia decem octo pro edis agnis et pattis ut supra in muscerifatu Elborensis. In muscerifatu vero de Portalegre et Elvas ac Olivance necnon More et Serpae pro alqueri frumenti regalia quindecim pro alqueri ordei octo pro alqueri olei septuaginta quinque pro alqueri leguminum regalia decem sex pro porculo regalia viginti pro frangano regalia septem pro patto regalia sexdecim et pro agno aut edo regalia viginti statuimus moderamus et taxamus ac declaramus.

*Quocirca* reverendo in Christo priori episcopo Septensis et dilecto nobis in Christo ministro monasterii seu domus Sancte Trinitatis Ulixbonensis nunc et pro tempore existentibus per hec scripta mandamus quanten ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alias vobis in premissis efficacis defensionis presidio assistenter faciant vos eisdem partibus decimarum seu terciis et illarum perceptione pacifice frui et gaudere non permitentes vos per modernos et pro tempore existentes Portugalie et Algarbiorum regnorum hujusmodi archiepiscopos episcopos abbates priores canonicos rectores aut vicarios et beneficiatos seu quoscunque alios ...

(Não se acabou a cópia desta bula, por não conter mais o original).

(A. E.)